

ad Chronicon Marmoreum.

193

Νηλεὺς Μίλητον ὄμισε. De hac Ionum colonia Duce Neleo in Asiam ducta dixi in præcedentibus, de qua etiam Pausanias, Ælianus, & Strabo multa tradidere, quos videas in locis supra, ad Ep. 6. notatis.

Τὰ Γανιώνια ἐγέρετο. Panionia ^a communia erant omnium Ionum Festa in Neptuni honorem celebrata, ad quæ duodecim Ionix civitatum incolæ quotannis convenientes pro communi salute Deo sacra faciebant, & deinde de eadem inter semetipsos, eodem modo quo in Panbœotiis Bœoti, & in aliis Festis alii ejusdem gentis Græci, consultabant. Hæc Festa antiquitus ^b in loco prope Mycalen Panionio dicto habita fuere, postea vero cum ob crebra bella cum Caribus aliisque Gentibus gesta illic amplius celebrari non poterant, ad locum magis tutum ab Epheso non procul ^c translata fuerunt. Eorum Curatores erant ^d Prienenses, ex iisque quotannis nobilis juvenis electus fuit, qui sacrificiorum & ludorum curæ præpositus Rex Sacrorum dicebatur.

Βασιλεύοντος Ἀθηναίων μὲν Νηλέως. Μενεάδης hic non posse legi omnium Historicorum suadet autoritas, excepto enim illo Menestheo, qui secundum nostri Chronologi computum 154 annos ante Ionicam migrationem Theseo successerat, nullus alius illius nominis Athenis unquam regnasse memoratur. Pro Μενεάδης igitur restituendum est μὲν Νηλέως. De ratione emendationis, & tempore quo Neleus Iones in Asiam primo duxit, legas Lydiati notas Chronologicas. Notandum autem est Neleum hic βασιλεύον improprie dici, quia post Codrum Nelei patrem ^e nemo unquam Athenis regnabat. Postquam enim Codrus in bello Dorico semetipsum pro publica salute devovisset, Athenienses Regi tam optime de se merito nullum alium succedere satis dignum existimantes decreverunt, ut abolito regio nomine Archontes deinde reipublicæ præessent, qui primo perpetui, postea decennales, & tandem annui fuere. Perpetui & decennales erant à sola Codri familia, annui vero à quacunque, modo census habuissent dignitati pares, populi suffragiis eligebantur. De his plura vide in notis ad Chronici præemium.

Ep. 29. Ἀφ' ἧς Ἡσιόδου ὁ ποιητὴς ... ἡ ἔτη ἸΗΗΙΔΔΔ. βασιλεύοντος Ἀθηναίων... In prima Lacuna legendum esse ἐφάνη ex iis, quæ in proxima Epocha habentur integra, satis apparet. In secunda Lydiatus ἸΗΗΙΔΔΔII Seldenus vero ἸΗΗΙΔΔΔΔ restituunt. Seldeno qui Marmor inspexit potius assentiendum est. In tertia Lacuna Μεγακλῆς, sive enim annus sit ἸΗΗΙΔΔΔII, sive ἸΗΗΙΔΔΔΔ; Megacles Athenis Archon fuit ^f principatum enim anno Ep. Mar. 684 adeptus usque ad an. Ep. Mar. 655 secundum Eusebii computum tenebat.

Ἡσιόδου ὁ ποιητὴς ἐφάνη. Hesiodus ^g Cumæ in Æolide Asianâ nascatur, indeque puer adhuc à patre Dio & matre Pycimede in Bœotiam deductus in urbe Ascra, ubi parentes sedes figebant, educatus fuit, ubi cum sub Helicone monte, cui Ascra vicina erat, oves pascens Poeticæ operam dedisset, ^h inde secundum nonnullos mons ille, quasi musarum sedes esset, Poetis primo caput facer haberi. De Hesiodi operibus hæc apud Pausaniam habentur. ⁱ “Bœoti qui circa Heliconem domicilia habent ex opinione quadam à majoribus accepta Hesiodum negant aliud quicquam præter poema, quod ἔργα appellatur, scriptum reliquisse; quin & ex eo Musarum invocationem, quæ in exordio est, remouent, principium poemati statuentes illud carmen (undecimum scilicet) à quo de Contentionibus agere incipit. Quin & plumbeam mihi tabulam ostenderunt juxta fontem Hippocrenen positam, sed vetustate

^a Diodorus Siculus lib. 1. Strabo lib. 8. & lib. 14. Herodot. lib. 1. ^b Diodor. Sic. lib. 1. ^c Diod. lib. & Dionys. Hal. lib. 4. ^d Strabo lib. 8. & lib. 14. ^e Justin lib. 2. Eusebii in Chronicis. Velleius lib. 1. ^f Euseb. in Chronicis. ^g Suidas in Ἡσιόδου. Strabo lib. 9. p. 409. & lib. 13. pag. 622. ^h Vide notas meas ad Ep. 2. ⁱ Pausan. in Bœoticis.